Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1925

Quelle:
Copyright:

duſtria, in editt. *Genev.* 1597. 4. 1608. f. non paucis, quae Reformatis faverent, infarctis, ut docet ἀυτοψια. At Exemplum noſtrum *mſ.* ſine die et conſule primum, aut in primis fuiſſe videtur, in quod conjecit *Illyricus*, quae ex libris, Bibliothecisque, quas piceatis adibat manibus, in rem ſuam congeſſerat, partim ſuo, partim alieno calamo uſus, laciniis chartae etiam hinc inde interpoſitis, et deletis variis, quae jam conceperat. Ita e Teſtium ſuorum numero *Johannem Scriptoris* O. M. et *Reginaldum Pecock* (Peacock) Ep. *Ciceſtr.* expunxit, quos in Editis jam non reperio. Ceterum ut labore ſteterit Noſtro tot Viros *Papae reclamantes* in unum concire, magis arduum ſane fuiſſet hos Viros inter ſe ipſos conciliare. Alium *Teſtium Veritatis Catalogum* illi ab *Guil. Eiſengrenio Dilingae* 1565. f. oppoſitum fuiſſe, notum eſt.

CCCCXCIII.

876 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 74. f. inſcribitur I. *In Epiſtolam D. Pauli ad Galatas annotationes ex collectaneis Magiſtri Nicolai Galli Ratisponæ prædicatis.* Tractatio tota in *Homilias* XXIV. abit multis diviſionibus et articulis interſtinctas. Initium eſt: *Ex 1. Homilia primæ propoſitionis. De Galatis dictum eſt, quod inuenies in annotationibus Lutheri ad Galatas. Applicatio ad noſtra tempora. Paulus in Epiſtola diſputat non ſolum de Ceremonijs Moſi, ſicut Origenes, Hieronymus, Chryſoſtomus et Theophilus falſo opinantur* &c. Finis: *et publica fama. Et hec pro primo tractatu ſufficiant.* Memorantur hae *Annotationes* in Lexicis *Univerſali* et *Joecheriano*, ubi de vita Autoris patria *Cothenenſis* dicti *Hahn.* a. 1570. defuncti agitur; utrum vero typis excuſae fuerint, hactenus ignoro.

II. *fol.* 67. *Collectanea ex commentarijs N. ſupra Oſea.* Praecedunt tamen Notae duae, una *de Chriſto*, altera *de Scriptura ſacra*, ad *Commentaria*, ut videtur, non pertinentes. Haec vero ita incipiunt: *Nemo ſine ſpiritu ſancto intelligit prophetas.* Verbum domini ut factum eſt Oſeae. *Vane laborant omnes ut intelligant uerba dei qui carent illuſtratione Ihesu et ſpiritu dei* &c. Mox ad verba: *In diebus Oſiæ*, init Declamatio inſcripta: *De mala uita clericorum*, et procedit usque ad C. IV. v. 1. Cetera deperdita ſunt. *Joh. Wiclefi* eſſe haec *Commentaria* notavit in Indice mſ. *Gentilotus* ὁ μαχαιρης; ſed, praeterquam, quod nullibi inveniam, *Oſeam* a *Wiclefo* expoſitum fuiſſe, avertit me, quod *fol. ult.* ſub titulo: *Contra Clerum in terra Bohemiæ*, legitur: *Non fuit a ſeculo inter gentes unquam uiſa aut audita ſimilis Sævitia, ſicut modo in noſtra præſentia exercetur a Clero Thaboritarum* &c. Quid *Wiclefo* a. 1387. in *Anglia* mortuo cum